



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Zuifaltum sive Zuifaltaha, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

nium prudentissime, ac utilissime non præfuit tantum, sed & plurimum profuit, Monachisque ejus loci author postea fuit, & Ivafor, ut ipsi inter se aliquem idoneum Abbatem eligerent. Obiit anno Domini 1402.

26. *Ulricus Albinus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1417.

27. *Ulricus Holmasius* sedit ad gubernaculum annis 29. Obiit anno 1446.

28. *Joannes Schmidhoferus* triginta annis præfuit, fuit Vir doctus, magnæ existimationis in Curia Romana. Obiit anno 1475.

29. *Conradus Figelsheimer* nobilis, præfuit annis 20. Decessit anno 1495.

30. *Joannes Buchsenmacher* 12. annis. Emigravit ex hac ad aliam vitam, anno Domini 1507.

31. *Conradus Attingerus* sedit ad clavum annis septem. Obiit anno 1514.

32. *Stephanus Thiemarus* eligitur in Calendis Martiis, anni 1514. præfuit utiliter hoc adhuc currente anno Domini 1551.

ZUIFALTUM five Zuifaltaha, latinè ad duplices aquas, à duobus rivis Aych cognominatis, & in ipso Monasterio concurrentibus, sic dictum: magnificum ac opulentum Benedictini instituti Monachorum Cœnobium, Constantiensis Diœceseos, non procul à Danubio, inter Haingum & Riedlingum oppida, tribus milliaribus supra Ulmam, in Alpibus Sveviæ situm: fundatum ac amplissimè dotatum est, anno Christi 1088. in honorem Beatæ Virginis Mariæ, pro 12. Monachis ex Hirsangia, adductis, ab illustribus Comitibus de Achalm Luitholdo, & Chunone, duobus Germanis fratribus, Pontificatum Urbano Secundo, Imperium verò Henrico Quarto tenentibus. Donatum est mox ab Adalberto quodam Comite Calwensi Sindelfingiæ Cœnobii fundatore. Habitabant verò Comites isti de Achalm, alter in avita gentis suæ arce Achalm, quæ sublimis & magnifica hodiè adhuc visitur supra Reutlingum oppidum imperiale, in ducatu Wirtembergico: alter verò in Wulstingensi castro. Qui, cum evocarentur ex hac mortali

*Haingum.
Riedling.*

Sindelfingen Cœnob.

Reutling.

tali vita, sine heredibus, commendarunt curam & tuitionem hu-
 jus sui Monasterii, Mangoldo Comiti cuidam de Veringen, qui
 mox, Urbano Secundo Pontifici Max. tuendum ac defendendum
 ipsum tradens, semper postea id sub Romanæ sedis tuitione esse
 ac manere voluit: Unde Cœnobium temporum successu, pluri-
 mis immunitatibus ac privilegiis donatum est, non à Pontificibus
 solum, sed ad Pontificum petitionem, ab ipsis quoque Cæsaribus,
 ac Romanis Regibus: qui potestatem fecerunt Abbati, & con-
 ventui, eligendi sibi tutorem & advocatum, quemcunque vellent,
 sibi que utilissimum fore existimarent, addito etiam hoc privile-
 gio, ut si quis non utilis videretur, possent Monachi alium etiam,
 ejecto & amoto priore, eligere, & assumere pro suo arbitratu. In-
 de factum est, quod primi advocati & tutores hujus Monasterii
 fuerunt duces Bavarix Welphones, postea Comites de Hohen-
 berg, item successu temporis ab anno 1287. aliquandiu etiam Co-
 mites Emerkhingenses. Tandem eò res pervenit, ut per ducen-
 tos & quinquaginta penè annos, ab anno 1303. inchoando, Au-
 striæ duces, certis quibusdam conditionibus, advocati ac tutores
 essent. Primus horum fuit Fridericus Austriacus Ludovici Im-
 peratoris competitor, quem in eodem officio sequuti sunt postea,
 ut Monasterii diplomata contestantur, Albertus Rex, & hujus fi-
 lius Leopoldus, postea Rudolphus, Fridericus, Sigismundus, Maxi-
 milianus & Imperatoris Caroli V. Frater Ferdinandus, qui omnes
 diligenti ac clementi tuitione id tutati sunt semper, neq; quicquã
 no vi unquam postularunt, pro advocatiæ administratione, quam
 quod veteribus ac primis, juxta primam conventionem datum est.
 Interim verò aliquoties accidit, ut illi ipsi Austriæ principes Mona-
 sterii tuitionem ac advocatiam per aliquot interdum annorum
 spatium Wirtembergensi principi, ut suo cognato administran-
 dam commendarent. Sic Sigismundus Archidux Austriæ Wirtem-
 bergensi cuidam Comiti affini suo: Et Rudolphus dux Austriæ per
 triennii spatium: item Albertus & Leopoldus Austriæ duces itidem
 per triennium Eberhardo Comiti Wirtembergensi advocatiam
 concediderunt. Hi Comites aliquandiu satis moderati ac fideles
 advocati, tandem hâc occasione, aliquoties videlicet sibi ab Austriæ
 prin-

*Welphones
 tutores mo-
 nasterii Zui-
 salten.*

*Wirtem-
 bergensib.
 Principib.
 commissa
 est tutela
 Cœnobii
 Zuisalten.*

principibus comendatæ tuitionis, & advocatiæ, ad se totum jus advocatiæ transferre, & sibi tanquam proprium & hereditarium vendicare ausi fuerunt, præsertim Eberhardus barbatus. Id verò, Abbatibus non ita studiosè perpendentibus, facile obtinuerunt. Mox itaq; progressi, introductaq; istà novitate nondum contenti, rapere quoq; aliqua Monasterii bona ad sese conati sunt, ita ut ex advocatis & tutoribus, hostes tandem & raptores fierent, cujus rei evidens exemplum est.

*Gutelslein
Chartusia
Urach.*

Chartusia boni lapidis, vulgo Gutelslein supra Urachium Ducatus Wirtembergensis civitatem, in amenissimo loco instar oppidi amplissime constructa, quæ antiquitùs præpositura Monasterii Zuifallensis, Monachis & Abbatibus eorum, per vim à Wirtembergensibus Comitibus, Ludovico & Udalrico, ablata & extorta est, A.C. 1439. Illi enim Religionis studium prætendentes Chartusiam ibi se inchoaturos affirmabant, quemadmodum etiam faciebant, tantùm verò in hoc, ut in manus postea eorum locus ille citius & commodius pervenire posset. Monachi, ægre consentientes in istà rapinam, consentire tamen coacti sunt, quia nec justitiã, nec sano consilio, sed violentiã res plerumq; gerebatur: consenserunt hac tamen ratione, ut si non fieret Chartusia, & divinus cultus ibi non institueretur, aut etiam futuris temporibus non servaretur, quò deberet studio servari, tum præposituram eam vel chartusiam, recidere debere, cum omnibus ad eam pertinentibus juribus, bonis, & possessionibus ad Abbatem & conventum Zuifallensem.

*Disidium
in Austria
eos & Wir-
tembergens-
es duces de
canobio
Zuifalt.*

Super hac ipsa verò advocatiæ vendicatione magnum disidium est ortum inter Sigismundum Austriam & Wirtembergensem: ita ut Fridericus Imp. nomine Sigismundi ducis vexillum, una cum inhibitoribus literis, in Monasterii templo erigi curaret, per virum quendam nobilem: Eberhardus verò Comes Wirtembergensis collecta subditorum suorum manu Monasterium tumultuante invasit, a. 1486. vellixumq; à Cæsare suspensum & erectum dejecit, pro quo tamen contemptu ac temerario ausu, numerare postea coactus fuit multam 10000. aureorum. Abbas ejus temporis Georgius, Riedlingum auffugerat, mirabiliter defensus. Interim lite super Advocatiã apud Othonem Episcopum Constantiensem pen-

pendente, & Imperator & Dux Sigismundus moriuntur. Res verò tandem per Maximilianum composita & transacta est, ita nimirum, ut maneret Cœnobium sub tuitione Austriaca, Wirtembergensis caderet. Nihilominus tamen postea Ulricus Dux aliquoties subsidia postulavit, contra transactionem factam à Maximiliano, Monachi quietem amantes, pacis ergò dederunt 4000. aureorum. Iterum petenti data sunt 2000. ab Abbate Georgio, hâc conditione, ut aliquando renumerarentur. Tertiò petenti 1500. aureos, pecunia negata est Duci existenti, tum in comitiis Constantiensibus. Quarto ex Treveri iterum petenti quatuor millia, a Domini 1512. rursus denegarum est aurum ab Abbate Georgio, sic dicente postulanti aurum nuncio; Vellem (inquit) Dominum & Ducem tuum ita Oeconomix suæ præesse, ut & nos nostrâ præesse possimus. Hâc voce irritatus & concitatus princeps naturâ iracundus, paucis equis, ex Trevei, in Monasterium venit, & Abbatem, qui nuper egressus erat balneis, nondum indurum, equo alligatum, in altum Niffenium (idarcis nomen est) abduxit, ibiq; incarceratione: Ubi bonus senex, qui jam per 40. penè annos, ut in Catalogo sequetur, Monasterio utilissime præfuerat, tam diu est detentus, donec Episcopus Constantiensis, & alii circumjacentis terræ Reguli, Morfenburgum, eum in tolerabiliorem carcerem placitarent. Ubi tantum est actum, ut Abbas Zuifallum resignaret, retenta sibi tamen in singulos annos Sexcentorum aureorum pensione: qui etiam paulo post Monasterio divitis Augiæ, ab Imperatoria Majestate præfectus est, cui Monasterio cum sapienter præesset, egregie id iterum instauravit. Sic semper contendum & dimicandum fuit Abbatibus hujus loci cum ducibus Wirtembergensibus, à quibus misere oppressum & exhaustum est Cœnobium, lite in hodiernum usque diem nondum sopita: quâ post habita ad Catalogum hujus Cœnobii Abbatum tandem venio, qui talis extat:

1. *Notgerus* præfuit Abbatiæ anno Domini 1088. præfuit annis quinque.

2. *Udalricus* præfuit annis 43. Obiit anno Domini 1136.

3. *Pilegrinus* Abbas præfuit 9. tantum septimanis. Obiit anno

1137.

4. *Hari-*

4. *Haricus* præfuit annis 16. Decessit anno Domini 1153.
 6. *Ernestus* sacræ paginæ Doctor, præfuit annis quinque, & anno Domini 1178. à Romano Pontifice ad seminandum Dei Verbum Hierosolymam, & ad alia Palæstinæ loca missus, ob constantiam in asserenda & docendi Christi doctrina, martyrio illic coronatus, & Antiochiæ sepultus est.

6. *Wernherus* præfuit 5. annis post Ernestum ablegatum à Pontifice.

7. *Godefridus* duobus annis sedit ad Abbatia gubernaculum. Obiit anno 1165.

8. *Conradus* præfuit 24. annis. Obiit anno Domini 1189. Huic dono dedit *Ulricus* Comes de Bergen Mochentalium arcem suam, quæ mox in Præposituram conversa est: Hæc in æmœnissimo colle non procul à Danubio medio ferè itinere inter *Zuifalum* & *Ehingum* sita est.

Mochental
præpositu-
ra.

9. *Wernherus* secundus sedit quatuor annis. Obiit an. 1193.

10. *Hermannus* præfuit annis 12. Decessit anno 1205.

11. *Conradus* annis 8. sedit ad clavum, quem abjecit iterum, anno Domini 1213.

12. *Henricus* præfuit duobus annis. Obiit anno 1215.

13. *Luitboldus* præfuit annis 14. Decessit anno 1229.

14. *Reinhardus* sedit quinque annis. Obiit anno 1234.

15. *Fridericus* sex annis. Exiit hominem anno 1240.

16. *Arnoldus* quinque sedit annis. Sub hoc Cœnobium vastatum legitur, ab Imp. *Friderico* secundo, quod tamen à *Gulielmo* Imperatore restitutum, & instauratum est.

17. *Wernherus* sex annis. Decessit anno Domini 1251.

18. *Conradus* duobus annis præfuit.

19. *Bertholdus* novem annis sedit.

20. *Petrus* decem annis gubernaculum tenuit.

21. *Ulricus* quindecim annis.

22. *Eberhardus* 44. annis laudabiliter officium pastorale in hac Abbatia tenuit. Decessit ex hac mortali vita, anno salutis 1331.

23. *Ulri-*

Biribid

Chronolog

Monast

von Ger

S. III

23. *Ulricus* novem annis præfuit: occiditur in ipsa habitatione sua anno 1340.

24. *Waltherus* præfuit decem annis. Obiit anno 1350.

25. *Joannes* præfuit 19. annis. Decessit anno 1369.

26. *Aushelmus* annis sedit 17. Obiit anno Domini 1386.

27. *Conradus* sedit annis octo. Decessit anno 1394.

28. *Joannes* præfuit annis quinque. Obiit anno 1399.

29. *Wolfgangus* nobilis à *Lapide*, successit Joanni, præfuit 23. annis. Obiit anno 1422. eodem die, quo & Germana ejus soror, Abbatissa in Urspringen è vivis excessit.

30. *Georgius* præfuit annis 14. Obiit anno Domini 1436.

31. *Joannes de Lapide*, vir nobilis genere & virtute, successit Georgio, ex Præposito Gutelsteinensi Abbas factus: præfuit laudabiliter 37. annis. Obiit anno 1473.

32. *Georgius* cognomento *Piscatoris* ex Pachensi proximo pago natus, eligitur in Abbatem anno Domini 1473. erat vir statura procerus, corpore omnino forti ac robusto præditus, in rebus gerendis prudens & fortunatus, in deliberando gravis, in conficiendo celer, erga hostes Cœnobii sui animosus & intrepidus: quin & literis, præcipuè utriusque juris peritiâ clarus, natura facundus, & eruditione eloquens, pacis amator maximus, dissensionum ac pendentium inter summos ac infimos litium pacator & compositor felicissimus. Præfuit annis penè 40. tam utiliter, ut meritò secundus hujus Cœnobii debeat appellari fundator. Primum enim id de novo reformavit anno 1489. tum omni ornamentorum genere illustravit: aurea & argentea vasa ad sacrum faciendum parari curavit, utrumque dormitorium aliud 17. cellarum, aliud decem cubiculorum elegantissimorum construxit: domum præterea in qua S. Stephani sacellum est, & Bibliothecam omni optimorum librorum genere refertam, adjecit, de quo ipsius beneficio sic Poëta Bebelius canere non dubitavit:

*Quod modo doctorum solatia Bibliothecam
Seruxeris, auctorum doctis variisq; refertam*

*Codicibus, semper se Abba venerande Georgi,
Doctorem cætus laudabit, amabit, honorat.*

Fuit optimus œconomus ac pater familias, qui 10. millium aureorum debita ab antecessoribus contracta solvit, & omnia penè ædificia vetera renovavit; Utque facilius à successoribus ædificari posset, intra Cœnobii muros molendinum ferrarium, ut vocant, in quo asseres scindi & aptari solent: domum item seu rugurium, in quo lateres coquantur & conficiantur, condidit: quibus omnibus anno 1507. pistrinum etiam adjecit, sequente verò anno domum, in qua hospites humaniter & commode exciperentur & frumenta conservarentur, erexit. Cinxit præterea Monasterium ob aquarum inundationem amplissimis fossis, & duplici muro, quorum interior propugnaculis ornatus tantum conventualia loca circumit, habens unam magnificam portam: alter totum Monasterium & omnia exteriora ædificia concludit, habens duas amplas portas, cum totidem domunculis pro custodia suprastructis. Ædificavit & alibi, Reuttlingi videlicet & Munderkingi, ædes egregias, & in aliquibus pagis parochias insignes ac alia plurima, lacus quoque effodi curans, fontesque optimos. Emit insuper à Joanne Gaspare Equite aurato de Bubenhofen pagos Eberstetten, Edelwalsstetten, Aychenloch pro novem millibus & quingentis aureis Rhenensibus. Castrum item Richenstein, cum adjacenti pago, & aliis ad id castrum pertinentibus possessionibus & juribus, pro sex millibus aureis. Advocatiam item in Bechingen, à Ludovico Speth pro 800. florenis. Tandem captus (ut supra dictum) ab Ulrico Duce, & liberatus, resignare coactus, ad Augie divitis gubernationem vocatus, ibi præfuit fideliter & utiliter: postea concessit ibi ad Dominum, & ad solem nescientem occasum, anno 1511. gubernante interim in Zuifalten Domino Sebastiano.

*Eberstetten
Edelwal-
stetten.
Aychenloch*

*Kirchen
sub Tecken
s. arce.*

33. *Sebastianus* cognomento *Molitor* præfecti cujusdam in oppido Wirtembergensi Kirchen Untter Teck dicto, filius: Vir acri, versatili ac prudenti ingenio præditus, subrogatur Georgio anno ætatis suæ tricesimo tertio. Præfuit is prudenter, magnanimiter & utiliter 26. annis. Multa perpeffus à duce Wirtembergensi, quæ

fi, quæ toto anno vix scribi possent, præsertim tum, cum ab Hesperum Landgraphio ditioni amissæ restitutus esset. Tum enim Cœnobium Zuifaltense aliquoties direptum ac spoliatum, irrecuperabilia damna accepit. Abbas Uberlingam secesserat, inde tandem reversus, omnia præclare & illustravit & auxit. Negotium verò Cœnobii sui coram invictissimo Romanorum, Bohemiæ & Ungariæ Rege Ferdinando, adversus Wirtembergensem, Viennæ tam magnanimiter ac strenuè egit, præsentem etiam Ulricho Duce: ut ab ipsis regis consiliariis, secundus Monasterii, ad extremam jam ruinam spectantis, erector ac fundator publicè diceretur. Tandem perpetuarum litium pertæsus, redeunte in suum ducatum, ejecto prius duce, resignavit Abbatiam anno Domini 1537. seque Mochentalium recepit, ubi vixit ad annum usque Christi 1549. quo resignanti Nicolao, iterum unanimi omnium Cœnobitarum voto, subrogatus, rursusque Abbas designatus est. Præsides verò hoc adhuc currente Jubilæo.

34. *Nicolaus Buchnerus*, patriâ Tubingensis, eligitur anno 1537. præfuit laudabiliter annis 12. Est vir doctus, cujus extat latina oratio non inveniusta, de Monasticæ vitæ laudibus. Musicus excellens, & Musicorum librorum diligens cœmptor. Reddidit Abbatiam his, a quibus eandem prius acceperat, idque fecit anno Domini 1549. privatus nunc vivens, inter literarum studia & exercitia, quibus occupatus est totus.

SCHYRUM sive Schyrense Monachorum Benedictinæ professionis Cœnobium in Bavaris, non procul à Pfaffenhofio Bavaricæ principum oppidulo situm: Comitum initio Schyren-<sup>Pfaffenhofi-
sen.</sup> Arnolphus magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit Arnol-<sup>Arnolphus
Imperator</sup> phus Imperator, Ratisbonæ apud S. Hemeranium sepultus, qui <sup>CastiComi-
rum Schy-
rensum.</sup> fundator familia horum principum descendisse scribitur. In Monasterium verò conversum est hoc modo:

Inchoata erat ab Othone & Alberto nobilibus viris, solitudinemque amantibus hominibus, in horum ipsorum Comitum ac principum Schyrensi ditione, Montanis videlicet Bavaricæ, juxta altissimum ejus provinciæ jugum, quod accolæ den Enttefstein